

D. Gerhanli Titij Dogmatica.

+





INDEX Disput: D. Gerhardi Titij


- I. D. G. Titij theses Theol. Christianae fidei aeternam breviter complectens
- II. De Insufficiencia Religionis merè naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationum divinarum supernaturalium contra Herbertum.
- III. De sufficiencia S. Scripturae seclusis traditionibus Pontificiorum.
- IV. De principio fidei Chr. Sacra Canonica Scriptura.
- V. De S. Scripturae ad militantis Ecclesiae plenam informationem apta perfectione, et traditionibus Pontificiorum.
- VI. De perspicuitate S. Scripturae, ejus interpretatione, et lectione omnibus permittenda.
- VII. De verbi Divini AYOENTIA & Lünde
- IIIX. De Sanctissimo Trinitatis mysterio.
- IX. Theopaschitarum haeresis, ejusq; Refutatio
- X. De Jesu Christi mundi Salvatore.
- XI. De Divinitate Christi contra Socinianos.
- XII. De Divinitate Christi Fausto Socino ejusq; a seclis opposita.
- XIII. De merito Christi pro omnibus et singulis hominibus praestito adversus Calvinianos.
- XIV. De universali Redemptione omnium et singulorum hominum, facta per Christum de auctore.
- XV. De homine ad imaginem Dei condito, ejus lapsu et conditione post lapsum.
- XVI. De Angelis.
- XVII. De Meritis operum.
- XIIIX. An homo nondum renatus in Actionibus merè spiritualibus polleat libero arbitrio.
- XIX. De Justificatione hominis peccatoris coram judicio Dei & Sebast. Nienau.

- XX. De gratuita Justificatione hominis peccatoris coram
iudici Dei.
- XX. De Fide Justificante
- XXI. De Auxiliis divinae gratiae tam ad conversionem
quam perseverantiam in fide et sanctitate necessariis
- XXII. De aeterna quorundam hominum electione ad vitam
aeternam, et reprobatione quorundam ab eadem.
- XXIII. De Pactis legali et Evangelio quae Deus cum totoge-
nere humano in protoplastis inquit.
- XXIV. De Praedestinatione Credentium ad vitam aeternam,
et reprobatione incredulorum.
- XXV. De Praedestinatione.
- XXVI. De ministris Ecclesiae.
- XXVII. De Magistratu et rebus civilibus.
- XXVIII. De Peccato eiusque differentiis atque causis.
- XXIX. De Peccatorum culpa et reatu.
- XXX. De errore Flacii circa peccatum originis.
- XXXI. De Ecclesia.
- XXXII. De Ecclesia & M. Hac Reman
- XXXIII. De Poenitentia
- XXXIV. De Poenitentia & M. Morig
- XXXV. De Poenitentia et Absolutione sacerdotali.
- XXXVI. Doctrina Sacramentorum N. T.
- XXXVII. De Sacramento Baptismi.
- XXXVIII. De sacro S. coena Domini
- XXXIX. D. Gerh. Titii Responsum Joh. Vorstij verborum Epistolae
cum continuatione responsi Joh. Vorstij poster. Epistolae
- XL. De Papistico missae Sacrificio
- XLI. De Regimine sacro et civili disp. Theologico-
politico

- XLII. De Perseverantia Sanctorum contra Reformatos.
- XLIII. De quatuor novissimis.
- XLIV. De Morte et Christiana preparatione ad mortem.
- XLV. De statu animarum separatarum.
- XLVI. Vindicatio Augustanae Confessionis contra Bellarminum.
- XLVII. De Christiana morum doctrina.
- XLVIII. De Conciliis.
- XLIX. De miraculis.
- L. PitZli PutZlii destructio fundamentorum etc.
- LI. In qua loca nonnulla Epitomes Theologiae S. Calixti proponuntur et declarantur.
- LII. Diss. Meth. de simplicibus Entis affectionibus, uno, vero, bono, huiusq; conato perfecto.
- LIII. Oratio de gravissimis corruptelis quibus in Occidente Ecclesia Christi, ultimis et sequioribus praesertim seculis est oppressa.
- LIV. Programma quo S. S. Th. Studiosi in Acad. Julia ad auscultationem Epistolae Paulinae ad Romanos invitantur.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical or Latin script. Some faint words like "Dedictio" and "is" are visible on the left margin.





8.

THESES THEOLOGICÆ

DE

SANCTISSIMO TRI-
NITATIS MYSTERIO

Q V A S

D. O. M. A.

P R A E S I D E

GERHARDO TITIO

PHIL. MAG. ET SS. THEOLOG. PRO-
FESSORE ORDINARIO.

Die 25. Maij.

IN ILLUSTRIVLIA

publicè defendet

HENRICVS LINDES

CELLENSIS.



HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.

ANNO MDCCCL.

5



PERQVAM REVERENDO, AMPLIS-
SIMO ET EMINENTISSIMO
DOMINO

GEORGIO CALIXTO
SANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,
IN ACADEMIA IVLIA PROFES-
SORI PRIMARIO,

ABBATI REGIO-LOTHARI-
ENSI, PRÆCEPTORI, HOSPITI, AC
PATRONO SVO OMNIBVS HISCE
NOMINIBVS ÆTERNVM
OBSERVANDO

Theses has Theologicas

Devotâ mente

Consecrat & offert

HENRICVS LINDES.



THESIS I.

Inter mysteria Christianæ religionis duo quasi familiam ducunt, Trinitatis unum, Incarnationis alterum.

II. Et prius quidem illorum, patefactum est propter posterius, ut redemptionis nostræ ratio, & redemptoris personæ ejusq; dignitas quantum mortalibus nobis satis esset, distinctè cognosceretur.

III. Consistit autem tota prioris illius summi mysterij ratio in hisce tribus, Quod I. unicus sit Deus, & ille II. sit Pater Filius, & Spiritus Sanctus, & quod III. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, inter se sint revera distincti. Atque in eo sine dubio peculiaris quædam majestas & gloria divina sita est, quod una illa indivisa divinitas tribus distinctis individuis intelligentibus est communis. Neq; enim huic rei simile reperire licet in universâ rerum naturâ.

IV. Totum hoc verò arcanum longè sanctissimum, credimus ex revelatione supernaturali divinâ, captivantes omnem cogitationem in obsequium Dei. Neq; rem tam sublimem & à ratione adeò remotam homini citra peculiarem revelationem in mentem venire posse existimamus, quicquid sive Platonici, sive alij jis similes, ei fortassis affine aliquando balbutire videntur. Quin affirmat disertè scriptura, hoc quod Deus habeat filium, *id carnem & sanguinem non revelare.* Matth. xvi, 16. 17.

V. Et unitatem quidem Dei, importantem negationem plurium, non recta tantum ratio, sed & ipsa scriptura multoties inculcat. Nec de divinitate Patris sive Iudæi, sive hæretici aut olim aut hodiè facile dubitarunt. Filij autem & Spiritus Sancti divinitas validè contra hosce probari exposcit. Et verò sive Filij tantum divinitate, sive personalitate Spiritus Sancti evictâ, totâ causâ cadunt *οἱ ἀντιλέγοντες*. Nam si de hoc semel constet, quod plures personæ dentur in unâ numero essen-

tia, non superest quod magnoperè de certo numero litigent.

VI. Itaq; probandæ filij Deitati, pauca quædam sed efficacia argumenta advocemus. Primùm Scriptura docet, eum esse *verum Deum*. 1. Ioh. v. 20. *magnum Deum* Tit. 2, 13. *Deum benedictum in secula* Rom. 1 x. 5. *sine quo nihil factum sit quod factum sit* Ioh. 1, 3. *primum & ultimum* Apoc. 1, 17. Deinde Deitatem Filij ostendit collatio locorum Vet. & N. Testamenti. Conferantur scilicet hæc saltem nunc loca. psalmo xcvi 1, 7. & Hebr. 1. 6. Psalmo cii, 26. & Hebr. 1. à vers. 8. usque ad 13. Esaia. vi, 9 & Ioh. xii, 41. Firmissimum tertio quoque est argumentum quod à generatione divina petitur. *Unigenitus enim Dei filius*, Ioh. 1 1 1. *proprius Dei filius* Rom. v 1 1. oportet ut ipse sit Deus, cum omnis verè genitus cum gignente sit ejusdem essentia, nec concipi aliter possit. Accedit tandem quod Filio & attributa divina Apoc. 1. 8, 11, 23, collato cum 11. Paralip. vi, 30. & opera, ut creatio Ioh. 1, & cultus denique divinus Hebr. 1. 6. Apocal. v. 13. Philipp. 11. tribuuntur.

VII. Spiritus Sancti personalitatem vel ipsum nomen probaverit, utpote nec natum nec factum aliter accipi quàm profubstantia. Sed accedit alia multò magis urgens ratio. Quæcunque scilicet in personam ullo modo cadunt, personam arguunt aut de personâ dici possunt, ea omnia de Spiritu Sancto in scripturis prædicantur. Videantur è multis, loca Act. xiii, 2. 1. Cor. xii, 11. Act. xv, 28. &c. Quin disertè Act. v. *mendacium ei dictum* perhibetur. At cui quis mentitur, eum personam esse oportet. Non est autem Spiritus Sanctus persona humana, sed nec Angelica, Ergo divina, quod erat probandû. A scripturis itaq; & communi Christianorum doctrinâ abeunt, qui Spiritum Sanctum, *nihil aliud quàm peculiarem quandam virtutem & efficaciam Dei esse* hodiè confingunt. Porro si unus est Deus, & Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, Pater F. & Sp. S. erunt unus ille Deus, quod est ipsum illud quod Christiani toto corde credimus mysterium, & hoc quem ostendimus, modo, ex scripturis evincitur.

IX. Nec aliter credidit prisca Ecclesia etiam jam tum ante Nicænum Concilium, quam in rem luculenta hodieque testi-

testimonia supersunt, ab Excellens præceptoribus nostris alibi abundè producta.

IX. Quin quod divinitatem Christi, in quâ probandâ cardo controversiæ alioqui vertitur, attinet, concedit ipse Socinus, & anquiri, Epist. III. ad Matth. Radecium, unde factum, quod ab ipso ferme nascentis Ecclesiæ initio usq; ad nostra tempora, tot viri, adeò ut nullus sit numerus, non minus pietate quam doctrinâ clarissimi, tot ipsius Christi sanctissimi martyres eum alioqui gravissimum errorem secuti fuerint, quod Christus sit Deus qui omnia creavit, aut certè ex ipsius substantiâ genitus? Quæ talia profecto sunt, ut hominis causam facilè cordato cuivis suspectam sint redditura.

X. Expositâ nunc doctrinâ Catholicâ, videamus pauca circa præcipuas hæreses quæ mysterio nostro jugulum petierunt. Tertio itaque jam dum seculo, Praxeas, Noetus, & Sabellius, distinctionem personarum tollere laborarunt, pertendentes esse hic saltem tria distincta nomina unius ejusdemq; rei, eo ferè modo quo Marcus Tullius Cicero tria sunt nomina unius saltem hominis. Horum delirium ex eo confutatur, quod pater generantem, filius autem genitum denotet, quorum unus non potest non ab altero realiter differre. Et hinc est quod Scriptura de Patre Filio & Spiritu Sancto tanquam de tribus distinctis loquitur, alium atque alium disertè appellans. Videantur nunc loca. Ioh. v. 32. & 37. xiv. 16. Matth. xxix, 29. ut alia jam prætereamus.

XI. Inter impugnatores autem Divinitatis filij Dei, Arius^s eminent & Photinus. Qui in eo conveniunt, quod uterq; Filio Dei τὴν ὁμοσίαν cum Patre detrahare laborat; in eo autem discrepant quod Arius Christum jam dum ante mundum existisse, creatum tamen & factum ἐξ ἕκ ὄντων, & mundum per eum tanquam Patris instrumentum factum esse admitteret; Photinus autem Christum ratione essentiæ suæ merum hominem esse perhiberet, qui tum demum existere cœperit quando ex B. Mariâ matre in lucem est editus. Quam sententiam ultra mille jam annos sopitam avorum memoria F. Socinus & complices in angulis Sarmatiæ recoxerunt, sic tamen, ut Christum nihilominus verû Deum & cultu divino afficiendû esse, scribant.

XII. Notamus autem, disputationem cum Arianis difficiliorem esse eâ, quæ cum Photinianis intercedit. Posteriores enim omnibus illis scripturæ locis convincuntur quæ Christo existentiam tribuunt ante Mariam, non item priores; quin hos omnes comiter admittunt. Adeò ut non præexistentiam tantum sed ipsam tandem æternitatem largiti, ὁμοουσίαν nihilominus pernegaverint. Itaq; everso Arianismo corrui quidem hæresis Photini, at non vice versâ. Quod ad observandam rectam disputandi rationem eruditi utiliter monent.

XIII. Spiritus Sancti divinitatem seculo quarto impugnavit Macedonius cum asseclis, pertendentes, Spiritum Sanctum esse creaturam. Quid verò hodierni hæretici de Spiritu Sancto sentiant, indicavimus in fine §. VII, verbis ex Anti VVujek. cap. x. petitis. Cæterum falsitas horum omnium ex positis probationibus nostris innotescit.

XIV. Posito verò jam ex Scripturis, tanquam certo, quod unus Deus, sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Ecclesia postmodum illud hisce terminis expressit, in unâ divinâ essentiâ, esse tres personas, quæ inter se quidem distinguantur, in communi essentiâ tamen identificentur. Et quamvis voces *essentia* & *persona* ni scripturis non habeantur, sensus tamen & res ipsa ibi nobis traditur. Essentia Dei est ipsa θεότης Rom. i. sive si ita placet, id quo Deus est Deus. Persona est substantia singularis intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio. Dicitur *incommunicabilis*, propter essentiam divinam quæ quidem est substantia singularis & intelligens, sed non persona, quia Patri Filio ac Spiritui Sancto communicatur. *Non sustentata* autem *in alio*, additur ob humanam naturam in Christo, quæ quidem est substantia singularis intelligens, non tamen persona, quod non propria sed alterius, nempe τὸ λόγος substantiâ subsistat.

XV. Sicut autem trium personarum una est essentia, ita necesse est, ut earundem quoque unus sit intellectus, una voluntas, potentia, & alia quæ cum essentiâ eadem sunt attributa, una eademque sint, ex. gr. Sapientia, Veritas, bonitas &c. & sic uno intellectu intelligant unâ potentiâ agant hi tres, P.
Filius

Filius & Sp. S. Quod tamen non valet nisi in operationibus ad extra, cum Deus extra divinam essentiam aliquid in ipsis creaturis operatur. Secus enim est in operationibus ad intra, quæ in ipsâ essentiâ divina terminantur. Quando enim pater ab æterno generat filium, Filius semetipsum non simul generat, nec quando P. & Filius Spiritum Sanctum unâ spiratione mittunt seu producant, Sp. quoque Sanctus semetipsum producit. Hinc enata illæ regulæ; Opera ad extra sunt indivisa, opera ad intra sunt divisa.

XVI. Distinctio verò personarum oritur ex earundem processione, nempe cum filius sit à Patre per generationem, realiter utique ab ipso; & cum Spiritus Sanctus mittatur ab utroque, realiter quoque ab ipsis distinguetur. Actus illos personis proprios, quales sunt generatio activa Patris, item Spiratio activa Patri & Filio communis, vocant actus personales vel notionales. Differunt autem hi actus & *principis*; quia prioris solus Pater, posterioris Pater & Filius simul est principium, & *terminis* quoque; Nam generationis terminus est Filius, Spirationis Sp. Sanctus, qui ideò nusquam dicitur genitus sed procedens. Procedit autem non à solo patre, sed etiam à Filio, unde dicitur Spiritus filij Gal. iv. 6. & mittitur ab utroque; Ioh. xiv. 26. & xvi. 7.

XVII. Super his porro actionibus notionalibus fundantur proprietates personales, quarum tres sunt, paternitas scilicet, Filiatio & processio. Paternitas & filiatio fundantur in generatione, ubi enim est gignens & genitus, ibi statim sequitur, quod unus est pater alter filius. Processio autem fundatur in actu spirationis seu missionis, cujus principium sunt pater & filius simul, terminus verò Spiritus ab utroque procedens.

XIIX. Hæ proprietates, aliàs quoque notiones vocantur, quanquam non solæ sint notiones sed aliæ etiam dentur. Dicitur autem notio in divinis, nihil aliud quam ratio per quam innotescit divina persona. Quinc; itaque ejusmodi notiones ponuntur. Innascibilitas, paternitas, spiratio activa Patri & Filio communis, filiatio, processio. Harum quatuor illæ, paternitas, filiatio, spiratio activa P. & F. communis, processio, sunt oppositæ

fitæ

sitæ relationes; tres autem illæ, paternitas, filiatio, processio sunt proprietates, quod singulæ propriam & certam personam notificent, quale quid de spiratione activâ dici nequit, cum illa non uni personæ propria, sed patri & filio sit communis. Innascibilitas autem negatio est. Legatur Valentia L. I. de Trin. Cap. XVI.

XIX. Restat ut paucis addamus de distinctione personarum divinarum ab essentiâ. Inter sese realiter distingui personas, certum, & suprâ à nobis evictum est. Sed & ab essentiâ non minus realiter differre, videtur probari hoc argumento. Quorum unum est communicabile, alterum non est communicabile, unum absolutum alterum non absolutum sed respectivum, illa differunt realiter actualiter; Essentia & persona in divinis ita sunt comparata, Ergo. Resp. limitando majorem; Quorum unum est communicabile, alterum non est communicabile, illa differunt vel realiter actualiter, vel virtualiter. Majoris termini limitatio addatur predicato conclusionis hoc modo; Ergo essentia & persona in divinis differunt vel realiter actualiter vel virtualiter; & sic ad mittitur argumentû. Sufficit scilicet hîc distinctio virtualis, cujus fundamentû est infinitas rei illius, quæ est Deus. *Est autem distingui virtualiter, in hoc negotio nihil aliud, quam rem, que est paternitas & essentia in patre, cum sit simpliciter infinite perfecta, æquivalere etiam distinctis ut distincta sunt, atq; adeo perinde sine verâ contradictione idem de illa re ut est paternitas negari, & de eadem, ut est essentia, affirmari posse, ac si, ut est paternitas & ut est essentia, distingueretur re ipsa actu,* sunt rursus verba Valentia, L. I. de Trin. cap. xxx.

Plura addere nunc non placet, & chartæ etiam angustiâ prohibemur.

ΤΗ ΕΝ ΜΟΝΑΔΙ ΠΑΝΑΓΙΑ ΚΑΙ ΥΠΕΡ-
ΑΡΡΗΤΩ ΤΡΙΑΔΙ ΔΟΞΑ
ΚΑΙ ΧΑΡΙΣ.

F I N I S.

99 A 6986

ULB Halle 3
002 826 542




R


Sh

VJ 17

Rehov







B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

8.
EOLOGICÆ
DE
SIMO TRI
MYSTERIO
A S
M. A.
SIDE
O TITIO
THEOLOG. PRO-
RDINARIO.
5. Maij.
TRIVLIA
defendet
LINDES
ENSIS.
ESTADI,
MULLERI Acad. typ.
IO IO CL.

